

20.249

Foll. 20.249

Tueves alas 9 y alas 3.

R. 20.249

THEOLOGICÆ THESES

EX PRIMA PARTE
ANGELICI PRÆCEPTORIS

DIVI THOMÆ AQUINATIS,

QUAS SIBI

EX PRIMO ANNO THEOLOGICI CURSUS
COMPARAVIT, PUBLICÆQUE DISPUTATIONI

OFFERT

F. JOSEPHUS SILVES,

Sac. Ord. Præd. Patriarch. Collegii Oriolensis
Formalis Collega,

CUI PRÆSES,

(REGIIS JUSSIBUS OBSEQUENS)
ADERIT

R.P.L.F. VINCENTIUS TORMO DE BATALLER,
in Cæsaraugustano Pontificio, & Regio Lyceo Artium, &
Sacrae Scientiæ Baccalaureus: In Orcelitano Philosophiæ
Magister, & olim Professor, Sacrae Theologiæ
Doctor, Cathedricus, & Censor.

Disputationis locus: Orcelense Universit. Theatrum.

DIE /7 MENSIS NOVEMBRIS AN. 1791.

ORIOLÆ:

EX OFFICINA ANTONII SANTA MARIA.



EX LIBRIS
BIBLIOTHECA
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
CIVITATIS BRUNNENSIS
BRUNNENSIS
EX LIBRIS
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
CIVITATIS BRUNNENSIS

EX LIBRIS
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
CIVITATIS BRUNNENSIS
EX LIBRIS
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
CIVITATIS BRUNNENSIS

EX LIBRIS
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
CIVITATIS BRUNNENSIS
EX LIBRIS
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
CIVITATIS BRUNNENSIS

EX LIBRIS
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
CIVITATIS BRUNNENSIS

D. O. M.

ANGELICO. ECCLESIAE. CATHOLICAE. DOCTORI
TOTIUS. CHRISTIANAE. RELIGIONIS
MURO. INEXPUGNABILI
ALMI. ORDINIS. PRÆDICATORUM
ORNAMENTO. MAXIMO

DIVO. THOMÆ. AQUINATI

QUI

A. DEO. A. DEIPARA. AB. APOSTOLIS. EDOCTUS
TRADIDIT. TUTISSIMA. DOGMATA
NON. PERICULOSA. PROBLEMMATA
RECTAM. NON. RIGIDAM
MORUM. DISCIPLINAM
THESAURUM. CÆLESTEM
ARGENTUM. IGNE. EXAMINATUM
PURGATUM. BENE
PROBATUM. AB. EO
QUI. OMNIA. BENE. FECIT
TANTO. MAGISTRO
ÆTERNUM. DEVOTIONIS. MONUMENTUM

H. P.


F. JOSEPHUS. SILVES.

*Tu autem loquere, quæ
decent sanam doctrinam.*

Ad Titum. Cap. 2.

„ ¿ Quem verò intel-
„ ligimus Scholasticum
„ Theologum? ¿ Aut hoc
„ verbum in quo homine
„ ponimus? Opinor in
„ eo, qui de Deo, re-
„ busque divinis apte,
„ prudenter, docte é lit-
„ teris, institutisque sa-
„ cris ratiocinetur.

Cl. Melch. Canus. Lib. 8. Cap. 1.



DE DOCTRINA SACRA.

I. **H**OMINI fuit maximè necessarium ad salutem, aliquam habere doctrinam, praeter philosophicas disciplinas, quae naturali lumine adipiscuntur.

II. Sacra doctrina (de qua in praesenti) vera scientia est.

III. Dicendum est, Sacram Doctrinam unam scientiam esse.

IV. Haec & speculativa simul, & practica est.

V. Omnium scientiarum, tùm speculativarum, cum practicarum simpliciter dignissima est Sacra Doctrina.

VI. Doctrina ista sapientia est ; non quidem
A in

in aliquo genere tantum , sed simpliciter maxima inter omnes sapientias humanas.

VII. Deus O. M. (quid melius?) jucundissimae hujus scientiae subjectum est.

VIII. Argumentatur haec doctrina auctoritatibus librorum canonicorum , & traditionum propriè , & ex necessitate: Ecclesiae Doctorum propriè , sed probabiliter: Philosophorum verò , ut extraneis , & probabilibus locis.

XI. Conveniens est Sacrae Scripturae divina , & spiritualia , nobis sub similitudine corporalium tradere.

X. Sub una littera plures involvere sensus , proprium est Sacrae Scripturae.

DE EXISTENTIA , NATURA , ET ATTRIBUTIS DEI.

I. Haec propositio : *Deus est* , quantum in se est , per se nota est , tamen nobis per se nota non est.

II. Deum esse , secundum quod non est per se notum quoad nos , demonstrabile est per effectus nobis notos.

Sin-

III. Singulae rationes, quibus D. Thomas probat, Deum esse, invictissimae sunt, & verè demonstrativae.

IV. Possibile non est, Deum esse corpus.

V. Probabile est, Tertullianum non sensisse, Deum esse corporeum; aut saltem ipsum hunc errorem revocasse.

VI. Impossibile est, quod Deus sit compositus ex materia, & forma.

VII. Deus idem est, quod sua essentia, vel natura.

VIII. Deus est suum esse.

IX. Deus non est in genere aliquo, neque propriè, neque per reductionem.

X. Nullum accidens in Deo esse potest.

XI. Nulla compositio est in Deo, sed omnimoda simplicitas: *Deus verè, & summè simplex est*, ait M. P. Augustinus.

XII. Non est possibile, Deum aliquo modo venire in compositionem aliorum, nec sicut principium formale, nec sicut materiale.

XIII. Deus est maximè perfectus.

XIV. In Deo sunt perfectiones omnium rerum.

Deus,

XV. Deus , sicut agens , est in omnibus rebus , & intimè , non autem sicut pars essentiae , vel ad modum accidentis.

XVI. Deus est in omni loco , & per modum , quo est in omnibus rebus , & per modum , quo locata sunt in loco.

XVII. Deus est ubique , sive in omnibus rebus per potentiam , in quantum ejus potestati omnia subduntur ; per praesentiam , in quantum omnia nuda , & aperta sunt oculis ejus ; per essentiam , in quantum adest omnibus , ut causa essendi.

XVIII. Est etiam Deus speciali modo in justis , scilicet , per gratiam ; & specialissimo in Christo Domino per unionem hypostaticam.

XIX. Esse ubique primò , & per se convenit Deo , & est proprium ejus.

XX. Impossibile est , Deum aliquo modo mutari.

XXI. Solus Deus est omnino immutabilis.

XXII. Impossibile est , esse plures Deos.

XXIII. Deus est maximè unus.

DE

De Visione Beatifica.

I. Intellectus creatus potest videre divinam essentiam.

II. S. Joannes Chrysostomus perperam à Vazquezio accusatur, quod intuitivam Dei visionem impossibilem asseruerit.

III. Ex parte rei visae, quam necesse est aliquo modo uniri videnti, per nullam similitudinem essentia divina videri potest.

IV. Impossibile est, Deum sensu visus, vel alia quacumque potentia sensitivae partis videri posse.

V. Intellectus creatus per sua naturalia, impossibile est, quod videat divinam essentiam.

VI. Oportet, quod aliqua dispositio (haec dicitur lumen gloriae creatum) intellectui superaddatur ad hoc, quod intellectus eleve-
tur ad videndam divinam essentiam.

VII. In visione illa felicissima haud erunt omnes aequales, sed unus alio perfectius divinam videbit essentiam, inaequalitate provenien-

niente à majori , vel minori gloriae lumine,
quo propter caritatem perfundetur.

VIII. Nullus intellectus creatus quit Deum
comprehendere ; *est quippe magnus consilio,*
& *incomprehensibilis cogitatu.*

IX. Divinam essentiam videntes haud va-
lent cognoscere omnia , quae Deus ipse facit,
aut potest. Sed horum , quae Deus facit,
aut facere potest , tanto aliquis intellectus
plura cognoscet , quanto perfectius Deum
videbit.

X. Res ipsae , secundum illam cognitio-
nem , qua à videntibus Deum per essentiam,
in Deo cognoscuntur , non videntur per ali-
quas similitudines ; sed per essentiam divinam,
per quam & Deus videtur.

XI. Ea , quae videntur in Verbo , non
successivè , sed simul videntur.

XII. Ab homine puro Deus per essen-
tiam videri non potest , nisi ab hac mortali
separetur vita.

XIII. Supernaturaliter tamen , & praeter
communem ordinem , mentes aliquorum , hac
in carne viventium , sed carnis non utentium
sen-

sensibus , usque ad visionem essentiae suae elevavit Deus.

XIV. Fictitium omnino est , & anilis fabula Millenariorum cum Christo in terris regnum post carnis universalem resurrectionem, à Cerintho excogitatum.

XV. Joannes XXII. propenderit, an non, ut Doctor particularis in sententiam differentem SS. animabus Dei visionem beantem , usque ad re assumptionem corporum ; numque illam, ut Auctor privatus , assertivè quandoque docuerit , necne , alii definiant : defendimus tantum , nusquam opinionem illam à praefato Pontifice , ceu dogma credendum universali Ecclesiae fuisse propositam.

DE NOMINIBUS DEI.

I. Deus potest nominari à nobis ex creaturis , non tamen ita quod nomen significans ipsum , exprimat divinam essentiam, secundum quod est in se.

II. Nomina , quae affirmativè , & absolute de Deo dicuntur , ut *bonus* , *sapiens* *cet.*
di-

divinam substantiam significant , imperfectè tamen.

III. Nomina significantia perfectiones absolute , quantum ad id , quod significant , competunt propriè Deo , & magis propriè , quam creaturis , ac per prius de illo dicuntur ; quantum verò ad modum significandi , non ita.

IV. Impossibile est , aliquid de Deo , & creaturis praedicari univocè , aut pure aequivocè ; sed dumtaxat analogicè.

V. Omnia nomina metaphoricè de Deo dicta , per prius dicuntur de creaturis , quam de ipso.

VI. Nomina propriè dicta de Deo , quantum ad rem significatam , dicuntur prius de Deo , quam de creaturis , sed quantum ad nominis impositionem , per prius creaturis imponuntur.

VII. Quaedam nomina , relationem importantia ad creaturam , ex tempore de Deo , & non ab aeterno dicuntur.

VIII. Hoc nomen *Deus* , quantum ad id , à què imponitur ad significandum , est operationis nomen : sed ex dicta operatione assumptum , im-

impositum est ad significandam naturam divi-
nam : heinc quantum ad id , ad quod signifi-
candum imponitur , est nomen naturae.

IX. Hoc nomen *Deus* est incommunica-
bile secundum rem , sed communicabile se-
cundum opinionem.

X. Hoc nomen *Deus* est communicabile
secundum rem , non secundum totam suam
significationem (in quo sensu antecedens con-
clusio loquitur) sed secundum aliquid ejus
per quamdam similitudinem.

XI. Si esset aliquod nomen impositum ad
significandum Deum non ex parte naturae,
sed ex parte suppositi , secundum quod con-
sideratur , ut hoc aliquid , nomen illud esset
incommunicabile omnibus modis.

XII. Hoc nomen *Deus* dictum secundum na-
turam, participationem, & opinionem, non acci-
pitur univocè , nec aequivocè , sed analogicè.

XIII. Hoc nomen , *QUI EST* , est Dei no-
men maximè proprium , triplici ratione , quam
proferam rogatus.

XIV. Propositiones affirmativae verè for-
mari possunt de Deo.

B

DE

DE SCIENTIA DEI.

I. In Deo perfectissimè est scientia , qua seipsum per seipsum intelligit , cognitione sui ipsius perfectè comprehensiva.

II. Idem est intelligere Dei , ac substantia ejus.

III. Cum Deus perfectè seipsum intelligat , omnia alia à se cognoscit etiam , non per speciem propriam , sed in se ipso , vel per essentiam suam.

IV. Scientia divina non est discursiva , sed omnia simul perfectè in se ipso intelligit.

V. Scientia Dei , secundum quod habet adjunctam voluntatem , est causa rerum.

VI. Deus , *qui* , ajente Apostolo Rom. 4, *vocat ea , quae non sunt , tamquam ea , quae sunt* , habet scientiam non entium ; scientiam, inquam , vel visionis , vel simplicis intelligentiae.

VII. Mala cognoscuntur à Deo non per privationem in se existentem , sed per oppositum bonum.

Cum

VIII. Cum Scientia Dei sit causa rerum, necesse est, quod Deus etiam cognoscat singularia.

IX. Dicere necessum est, quod Deus sciat infinita, nedum scientia simplicis intelligentiae, sed visionis etiam.

X. Futura contingentia infallibiliter à Deo cognoscuntur, secundum quod divino subduntur conspectui.

XI. Deus cognoscit omnia enuntiabilia, quae formari queunt, non per modum enuntiabilium, sed per simplicem intelligentiam.

XII. Oportet, Dei scientiam esse omnino invariabilem.

XIII. Deus de se ipso habet scientiam speculativam tantum, de aliis omnibus & speculativam, & practicam.

DE VOLUNTATE DIVINA.

I. Oportet, ponere voluntatem in Deo.

II. Deus vult se, & alia à se: ita tamen quod bonitatem suam vult ex necessitate, alia à se non ex absoluta necessitate, sed suppositionis.

Vo-

III. Voluntas Dei est causa omnium ; ipsius autem nulla est causa.

IV. Voluntas Dei consequens semper impletur , haud ita evenit in antecedente.

V. Deus voluntate antecedenti vult , omnes homines salvos fieri , Christusque pro omnibus omnino hominibus mortuus est : sed voluntate consequenti horum dumtaxat vult salutem , qui praedestinati sunt.

VI. Voluntas Dei est omnino immutabilis.

VII. Divina voluntas non omnibus volitis necessitatem imponit , sed quibusdam tantum.

VIII. Deus nullo modo vult malum culpae : malum autem naturalis defectus , vel malum poenae vult volendo aliquod bonum , cui tale conjungitur malum.

IX. In Deo est liberum arbitrium respectu eorum , quae non ex necessitate vult.

X. Distinguitur in Deo propriè dicta voluntas , quae dicitur voluntas beneplaciti , & metaphoricè dicta , quae dicitur signi voluntas.

XI. Quinque signis dignoscitur divina voluntas.

luntas, quae sunt: *praeceptum, consilium, & operatio* respectu boni: *prohibitio, & permissio* respectu mali.

DE AMORE DEI.

I. Cum in Deo sit voluntas, amorem in ipso ponere necessum est.

II. Deus omnia existentia diligit, nam omne, quod est, in quantum est, bonum est; sed modo à nostro longe diverso.

III. Ex parte actus voluntatis Deus aequaliter omnia diligit; ex parte vero boni voliti ab ipso, non omnia aequaliter amat.

IV. Necesse est dicere, Deum magis diligere meliora.

DE JUSTITIA, ET MISERICORDIA DEI.

I. Sola distributiva justitia est in Deo, non autem commutativa.

II. Misericordia maximè Deo tribuenda est, non secundum passionis affectum, sed effectum.

In

III. In singulis operibus Dei & justitiam,
& misericordiam inveniri necessarium est.

DE DIVINA PROVIDENCIA.

I. Providentia, quae est ratio ordinis rerum in finem, Deo maximè convenit.

II. Omnia tum in particulari, cum in universali subjacent divinae providentiae.

III. Falsò quidam crediderunt, ut testatur Ang. Doctor, divinam providentiam rebus omnibus necessitatem imponere; cum dumtaxat quibusdam eam imponat necessitatem.

DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM, ET IMPIORUM REPROBATIONE.

I. Deo conveniens est, homines praedestinare.

II. Praedestinatio rectè ab Aug. definitur: *Praescientia, & praeparatio beneficiorum Dei* cet. Aptè etiam à D. Thoma: *Ratio transmissionis creaturae rationalis in vitam aeternam.*

nam. Benè tandem ab aliis PP. *Praeparatio gratiae in praesenti, & gloriae in futuro.* Tamen hae tres diffinitiones reipsa conveniunt, esto verbis differant.

III. Praedestinatio non est aliquid in praedestinatiis, sed in praedestinate tantum: executio autem hujus ordinis est passivè quidem in praedestinatiis, activè vero in Deo.

IV. Deus aliquos reprobat, in quantum vult permittere, eos ab aeterna vita deficere.

V. Reprobatio positiva est ex praevisis demeritis.

VI. Nulli fuerunt haeretici Praedestiniani in Monasterio Adrumentino.

VII. Neque emersit in Galliis haeresis praedestiniana Coelestino I. Summo Pontifice, nec Hilarius, ac Prosper Augustini, Coelestivè opem ad eam debellandam imploravere.

VIII. Tamen probabilius est, Lucidum Praesbyterum illis adhaesisse erroribus, quos Faustus illi tribuit, & praedestinationis errores vocat. Undè non fuit imaginaria Praedestinianorum haeresis, quamvis plurimos non habuerit sectatores.

Om-

IX. Omnes praedestinati sunt dilecti, & à Deo electi.

X. Nullus fuit ita insane mentis (verba sunt Ang. Praeceptoris) qui diceret, merita esse causam divinae praedestinationis ex parte actus praedestinantis.

XI. Perperam existimavit Origenes, praedestinationis effectum alicui praeordinari propter merita praeeexistentia in alia vita.

XII. Sola ergo divina bonitas est causa praedestinationis, secus verò praescientia meritorum.

XIII. Praedestinatio certissimè ac infallibiliter consequitur suum effectum, haud tamen imponit necessitatem, ut scilicet, effectus ejus ex necessitate proveniat.

XIV. Deo certus est praedestinatorum numerus nedum formaliter, verum & materialiter.

XV. Quantum ad praeordinationem divinam nullo modo praedestinatio juvari potest precibus Sanctorum; nihilo tamen minus juvatur plurimum quantum ad praedestinationis effectum.

DE

DE SACRATISSIMO SANCTISSIMAE
TRIADIS MYSTERIO.

I. Fides Catholica processionem secundum emanationem intelligibilem ponit in divinis; est ergo processio in divinis non eo modo, quo eam accepit Arius, neque ut ipsam exponebat Sabellius.

II. Processio Verbi in divinis dicitur generatio; & Verbum verè dicitur Filius, & genitus.

III. Praeter Verbi divini processionem, alia ponitur in divinis, quae est processio amoris.

IV. Processio amoris in divinis non debet dici generatio.

V. Hae duae processionem in Deo solummodo sunt ponendae.

VI. Necesse est, quod relationes, quae secundum processionem divinas accipiuntur, sint relationes reales.

VII. In Deo non est aliud esse relationis, & esse essentiae, sed unum ac idem secundum

C

dum

dum rem , differens tamen secundum intelligentiae rationem.

VIII. Relationes , quae sunt in Deo , realiter ab invicem distinguuntur ; non secundum rem absolutam , sed secundum rem relativam.

IX. Quatuor tantum relationes reales sunt in Deo : Paternitas , Filiatio , Spiratio , & Processio.

X. Diffinitio Personae à Boëtio tradita , nempè : *Rationalis naturae individua substantia* , est optima.

XI. Conveniens est , ut hoc nomen *Persona* de Deo dicatur , non tamen eodem modo , quo de creaturis dicitur , sed excellentiori.

XII. Persona divina significat relationem ut subsistentem , & secundum hoc significat relationem in recto , & essentiam in obliquo : è converso autem significat essentiam in recto , & relationem in obliquo , in quantum essentia est idem , quod hypostasis.

XIII. Tres Personas tantum in divinis secundum fidem catholicam confiteri tenemur : *Tres sunt , qui testimonium dant in caelo, Pater,*

ter , *Verbum* , & *Spiritus Sanctus* , & *hi tres unum sunt* , inquit , qui scit , verum esse testimonium suum.

XIV. Nomen Personae est commune tribus Personis secundum rationem.

XV. Sicut ponitur pluralitas Personarum in divinis , ita utendum est nomine Sanctissimae Trinitatis.

XVI. In divinis non est aliud Pater , aliud Filius , aut aliud Spiritus Sanctus ; benè verò alius est Pater , alius Filius , & alius Spiritus Sanctus.

XVII. Impossibile est , per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum Personarum pervenire.

XVIII. Quinque dumtaxat notiones sunt in divinis : Innascibilitas scilicet , Paternitas , filiatio , communis Spiratio , & Processio.

XIX. Proprium nomen personae Patris est hoc nomen *Pater*.

XX. Nomen *Verbum* in divinis , si propriè sumatur , est nomen personale , & nullo modo essenziale.

XXI. Solus Filius propriè dicitur *Verbum* in divinis. Hoc

XXII. Hoc nomen *Imago* est in divinis nomen personale.

XXIII. Soli Filio propriè convenit nomen *Imaginis* (secundum Doctores Latinos.)

XXIV. Persona per modum amoris procedens non habet proprium nomen; tamen ipsi accommodatum est ex usu Scripturae hoc nomen *Spiritus Sanctus*, & quidem convenienter.

XXV. Necesse est dicere, Spiritum Sanctum à Filio procedere.

XXVI. Pater, & Filius sunt unum principium Spiritus Sancti.

XXVII. Nomen amoris in divinis & sumi potest essentialiter, & personaliter, & secundum quod personaliter, est proprium nomen Spiritus Sancti.

XXVIII. *Donum*, secundum quod personaliter sumitur in divinis, est etiam Spiritus Sancti proprium nomen.

XXIX. Relatio in divinis idem est, quod personā.

XXX. Melius omnino est dicendum, quod personae divinae distinguantur relationibus, quam per originem.

Si

XXXI. Si loquamur de abstractione, quae fit secundum universale, & particulare, remotis proprietatibus, remanet in intellectu essentia communis, non autem hypostasis Patris.

XXXII. Si autem loquamur secundum modum abstractionis formae à materia, remotis proprietatibus non personalibus, remanet intellectus hypostasum, seu personarum: sed remota proprietate personali per intellectum, tollitur intellectus hypostasis.

XXXIII. Origines passivè significatae simpliciter praecedunt secundum intellectum proprietates personarum procedentium, etiam personales.

XXXIV. Origo, activè significata, prior est secundum intellectum, quam relatio non personalis personae originantis.

XXXV. Proprietas personalis Patris, in quantum est relatio, secundum intellectum praesupponit actum notionalem.

XXXVI. Proprietas personalis Patris, in quantum est constitutiva personae, praeintelligitur necessario actui notionali.

Ad

XXXVII. Ad significandum originis ordinem in divinis personis, necessarium fuit, adtribuere personis actus notionales.

XXXVIII. Pater genuit Filium voluntate, secundum quod hic ablativus dicit concomitantiam tantum.

XXXIX. Pater non genuit Filium voluntate, secundum quod hic ablativus dicit habitudinem principii: sed voluntate sic sumpta produxit creaturam.

XL. Pater genuit Filium natura.

XLI. Filius non est genitus de nihilo, sed de substantia Patris.

XLII. Potentia secundum quod idem est, ac principium, Patri adtribuitur respectu Filii: Patri, & Filio respectu Spiritus Sancti.

XLIII. Potentia generandi Patris significat naturam divinam in recto, & in obliquo relationem: idem omnino dicendum de potentia spirandi.

XLIV. In divinis est tantum unus Pater, unus Filius, unus Spiritus Sanctus.

XLV. Necesse est, ponere aequalitatem in divinis Personis.

Ne-

XLVI. Necessesse est etiam dicere, Filium esse coaeternum Patri: Spiritum Sanctum Patri, & Filio.

XLVII. Oportet, in divinis Personis esse originis ordinem absque prioritate.

XLVIII. Filius est omnino aequalis Patri in magnitudine: & similiter Patri, ac Filio Spiritus Sanctus.

XLIX. Secundum essentiam, relationem, & originem Filius est in Patre, & Pater in Filio: similiter Spiritus Sanctus est in ambo- bus, & ambo sunt in ipso.

L. Necessesse est dicere, quod Filius est aequalis Patri in potestate; idem dicendum de Spiritu Sancto, respectu Patris, & Filii.

LI. Est ergo Filius in omnibus aequalis Patri, & ipsi consubstantialis.

LII. Heinc vox *Homousion*, seu con- substantialis convenienter inserta fuit Symbolo Nicaeno.

LIII. Hoc Nicaenum Concilium convoca- tum fuit à Magno Constantino, ex assensu tamen S. Sylvestri Romani Pontificis.

LIV. Osius Episcopus Cordubensis. in
His-

Hispania , Victor , & Vincentius Presbyteri Romani praefuerunt Concilio Nicaeno nomine Sylvestri Sanctissimi Pontificis , cujus erant Legati.

LV. Liberius non subscripsit secundae formulae Sirmiensi , sed primae , quae contra Photinum edita fuerat.

LVI. Patres Ariminenses non subscripserunt haeresi Arianae.

LVII. Missio , secundum quod ex una parte importat originem à mittente , & ex alia novum modum existendi in alio , convenit divinae Personae.

LVIII. Missio , & datio in divinis dicuntur temporaliter tantum.

LIX. Secundum solam gratiam gratum facientem mittitur divina Persona.

LX. Patri nullo modo convenit mitti.

LXI. Filio , & Spiritui Sancto convenit , invisibiliter mitti.

LXII. Invisibilis missio fit ad omnes , in quibus sunt duo haec , inhabitatio , videlicet gratiae , & innovatio quaedam per gratiam.

LXIII. Filius , & Spiritus Sanctus visibili-

liter missi sunt : Filius , tamquam sanctificationis auctor ; Spiritus Sanctus , tamquam sanctificationis indicium.

DE ANGELIS.

I. Necesse est , ad hoc quod universum sit perfectum , aliquas ponere creaturas incorporeas : (has nunc Angelos vocamus.)

II. Angelus expers omnino est compositionis ex materia , & forma.

III. Malachias , minorum Prophetarum postremus , non fuit Angelus , sed verus homo ex anima , & corpore constitutus.

IV. Nicaena Synodus II. generalis septima haud probavit , Angelos esse corporeos.

V. Angeli in quadam multitudine maxima sunt , omnem materialem multitudinem excedente.

VI. Impossibile est , esse duos Angelos ejusdem speciei.

VII. Angeli secundum suam naturam sunt incorruptibiles.

VIII. Angeli haud habent corpora sibi naturaliter unita.

D

An-

IX. Angeli propter nos interdum assumunt corpora.

X. In corporibus assumptis, Angeli quaedam opera vitae exercere queunt quantum ad id, quod commune est etiam operibus inanimatorum, minimè verò, quantum ad id, quod est viventium proprium.

XI. Per applicationem virtutis angelicae ad aliquem locum qualitercumque, dicitur Angelus esse in loco corporeo.

XII. Angelus nequit ubique esse, nec in pluribus locis simul, sed in uno loco tantum, propter finitudinem suam.

XIII. Non potest esse nisi unus Angelus in uno loco.

XIV. Potest Angelus moveri localiter, sed sicut esse in loco convenit aequivoce corpori, & Angelo, ita etiam moveri secundum locum.

XV. In potestate Angeli est, applicare se loco prout vult: vel per medium, vel sine medio.

XVI. Motus Angelorum fit in tempore.

XVII. Impossibile est, quod intelligere,
vel

vel quaelibet alia actio Angeli , sivè alterius
cujuscumque creaturae , sit ejus substantia.

XVIII. Neque in Angelo , neque in alia
aliqua creatura virtus , vel potentia operativa
est idem , quod sua essentia.

XIX. Angelis non possunt competere
aliae potentiae , nisi intellectus , & voluntas
dumtaxat.

XX. Angelus haud potest cognoscere om-
nia per suam essentiam : sed oportet , intelle-
ctum ejus , aliquibus speciebus perfici , ad res
cognoscendas.

XXI. Species , per quas Angeli intelligunt,
sunt eis connaturales , non à rebus acceptae.

XXII. Quanto superior fuerit Angelus,
tanto per pauciores species universitatem in-
telligibilem apprehendere potest.

XXIII. Angelus per suam substantiam se-
ipsum intelligit.

XXIV. Per sua naturalia aliqualem de Deo
cognitionem possunt habere Angeli.

XXV. Res materiales cognoscuntur ab An-
gelis per species intelligibiles , existentes in eis.

XXVI. Cognoscuntur singularia ab Ange-
lis,

lis , non in causis universalibus , sed ut sunt in se ipsis , per species inditas á Deo.

XXVII. Futurum , ut est in suo esse , non potest cognosci ab intellectu angelico : illud tamen ab Angelo intelligi valet , ut est in suis causis.

XXVIII. Cordium cogitationes & Angeli , & homines cognoscere possunt in suis effectibus : ut autem in seipsis , Deo dumtaxat sunt naturaliter notae.

XIX. Angeli cognoscere non possunt naturali cognitione mysteria gratiae ; benè verò cognitione , qua beantur.

XXX. Oportet , ponere voluntatem in Angelis.

XXXI. Neque Angeli , neque alterius creaturae voluntas potest esse idem , quod sua essentia.

XXXII. Necesse est ergo , quod in Angelo , & in qualibet alia creatura aliud sit intellectus , & aliud voluntas : non autem in Deo , in quo tam voluntas , quam intellectus sunt ejus essentia.

XXXIII. Nedum voluntas , verum & in-
te-

tellectus, & liberum arbitrium est in Angelis, at excellentius, quam in hominibus.

XXXIV. Angelorum appetitus non distinguitur per irascibilem, & concupiscibilem; sed remanet indivisus, & nominatur voluntas.

XXXV. Ponere dilectionem naturalem in Angelis, est necesse.

XXXVI. In Angelis invenitur sola cognitio naturalis, non autem ratiocinativa; invenitur tamen in eis dilectio & naturalis, & electiva.

XXXVII. Naturaliter tam Angelus, quam homo diligit seipsum, & elective.

XXXVIII. Unus Angelus alium diligit dilectione naturali, in quantum convenit cum eo in natura; sed in quantum convenit cum eo in aliquibus aliis, vel etiam in quantum differt ab eo, secundum quaedam alia, non diligit eum dilectione naturali.

XXXIX. Et Angelus, & homo plus, & principalius diligit Deum, quam seipsum.

XL. Necesse est dicere, tum Angelos, cum omne id, quod praeter Deum est, à Deo factum esse.

So-

XL I. Solus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus est ab aeterno: non ergo ab aeterno creati sunt Angeli.

XL II. Probabilius est, Angelos conditos simul fuisse cum mundo, sivè creatura corporea.

XL III. Angelos velut naturae corporeae praesidentes, nobilioresque Universi partes, decuit in Caelo Empyreo creari.

XL IV. Quantum ad beatitudinem, quam Angelus assequi valet virtute suae naturae, fuit creatus beatus: sed ultimam beatitudinem, quae facultatem naturae excedit, Angeli non statim in principio suae creationis habuere.

XL V. Angeli indiguerunt gratia ad hoc, quod converterentur in Deum, secundum quod est beatitudinis objectum.

XL VI. Probabilius videtur tenendum, & magis Sanctorum dictis consonum est, quod Angeli creati fuerint in gratia gratum faciente.

XL VII. Angelus, antequam esset beatus, per gratiam prius habitam, suam beatitudinem meruit.

XL VIII. Angelus post primum actum ca-
ri-

ritatis, quo meruit beatitudinem, statim fuit beatus.

XLIX. Rationabile est, quod secundum gradum naturalium Angelis data sint dona gratiarum, & gloriae cumulus.

L. Remanet in Angelis beatis & cognitio, & naturalis dilectio.

LI. Angeli beati peccare haud possunt.

LII. Etiam non valent Angeli beati in beatitudine proficere.

LIII. In sola voluntate divina peccatum esse non potest, in qualibet autem voluntate creaturae potest esse, at secundum conditionem suae naturae.

LIV. Secundum reatum omnia peccata in malis Angelis esse contingit: at secundum affectum, peccatum primum Angelorum aliud esse non potest, quam superbia; consequenter in eis potuit esse invidia.

LV. Angelus absque omni dubio peccavit appetendo esse, ut Deus: sed quomodo hoc sit intelligendum, ex verbis Ang. Doct. audiet, qui percontari velit.

LVI. Daemones nullo modo queunt inclina-

na-

nationem habere naturalem in aliquod quodcumque malum ; *non enim sunt naturaliter mali* , inquit D. Dionisius.

LXVII. Cum à Deo producti fuerint Angeli , in primo instanti sui esse nec peccarunt, nec peccare potuere per inordinatum propriae voluntatis actum.

LXVIII. Probabilior , & Sanctorum dictis magis consonans est opinio , quod statim post primum instans suae creationis Angelus peccavit.

LXIX. Si ponatur , quod Angelus in gratia creatus non fuit , vel quod in primo instanti actum liberi arbitrii habere non potuerit ; nihil prohibet aliquam moram fuisse creationem inter , & lapsum ejus.

LX. Probabilius est , primum Angelum , qui peccavit , inter omnes fuisse supremum.

LXI. Non est tamen inde alii opinioni dicenti , quod non fuit superior inter omnes, praejudicandum ; eo quod potuit in principe inferiorum Angelorum esse aliquod motivum ad peccandum.

LXII. Primi Angeli peccatum aliis fuit cau-

causa peccandi , non quidem cogens , sed quadam quasi exhortatione inducens.

LXIII. Nihilo tamen minus plures permanerunt in gratia , quam peccavere Angeli.

LXIV. Cognitio naturalis in Angelis peccantibus , nec est ablata , nec diminuta ; gratuitâ verò in speculatione consistens non est eis totaliter ablata , sed tantum diminuta : gratuitâ demum , quae scilicet producit divinum amorem , sunt totaliter privati.

LXV. Tamen firmiter tenendum est secundum fidem catholicam , quod & voluntas bonorum Angelorum confirmata est in bono , & malorum voluntas obstinata est in malo.

LXVI. Timor , gaudium , dolor , & huiusmodi secundum quod passiones sunt , in Daemonibus esse non possunt , benè verò secundum quod nominant simplices voluntatis actus.

LXVII. Usque ad diem iudicii & boni Angeli ad nos huc mittentur , & Daemones aëre in isto caliginoso erunt ad nostrum exercitium.

LXVIII. Heinc malis Angelis duplex poena-

E

na-

nalis debetur locus: infernus pro ipsorum culpa; & hic aër caliginosus ratione exercitationis humanae.

DE ILLUMINATIONE, ET LOCUTIONE
ANGELORUM, DEQUE BONORUM CIRCA
HOMINES CUSTODIA, ET MALORUM
ERGA IPSOS IMPUGNATIONE.

I. Unus Angelus illuminat alium, in quantum ei, quam cognoscit, manifestam facit veritatem, vel ex parte similitudinis rei intellectae, vel confortando illuminati intellectum.

II. Unus Angelus non movet sufficienter voluntatem alterius, nec ut objectum, nec ut ostendens objectum, sed dumtaxat inclinat eam.

III. Inferiores Angeli numquam superiores illuminant, sed ab his illuminantur semper.

IV. Sancti Angeli, qui in plenissima sunt participatione divinissimae bonitatis, quidquid à Deo percipiunt, inferioribus impertiuntur.

V. Ex eo quod mentis angelicae conceptus ordinatur ad manifestandum alteri per vo-
lun-

luntatem ipsius Angeli , conceptus unius Angeli innotescit alteri , & sic unus Angelus alteri loqui dicitur.

VI. Angelus inferior loqui cum superioribus potest.

VII. Angelus tantum loquitur Deo , vel consulendo divinam voluntatem de agendis, vel ejus excellentiam , quam numquam comprehendit , admirando.

VIII. In Angelorum locutione nullum impedimentum causat distantia loci.

IX. Locutionem unius Angeli ad alterum potest percipere unus absque aliis.

X. Si consideretur hierarchia ex parte Principis , nempe Dei , sic est una tantum Angelorum , hominumque hierarchia.

XI. Si autem consideretur hierarchia ex parte multitudinis ordinatae sub Principe , oportet , distinguere hierarchiam humanam ab Angelica , & per eundem modum in Angelis tres distinguere Hierarchias.

XII. In qualibet Angelorum hierarchia tres distinguuntur diversi ordines , supremus , medius , & infimus secundum ipsorum varia & officia, & actus.

Non

XIII. Non sumus tanti, ut distinguere valeamus officia, & ordines Angelorum, nisi in communi, secundum quem modum multi Angeli sub uno ordine continentur.

XIV. Secundum finem naturalem distinguuntur ordines Angelorum per naturalia dona; secundum supernaturalem verò completivè per gratuita dona, & dispositivè per naturalia distinguuntur.

XV. Homines nullo modo assumi possunt ad ordines Angelorum secundum conditionem naturae consideratos, assumuntur tamen secundum dona gratiae.

XVI. Non erunt societates duae, quasi tota toti condivisa & Angelorum, & hominum, sed una utrorumque simul.

XVII. Daemones nec erunt, nec sunt, nec unquam fuerunt in ordinibus Angelorum, si illi ordines considerentur quantum ad gloriae perfectionem.

XVIII. Si considerentur Angelorum ordines quantum ad gratiam, sic Daemones illis in ordinibus fuerunt aliquando, sed ab eis ceciderunt.

Si

XIX. Si Angelorum ordines considerentur quantum ad naturam, sic adhuc sunt Daemones in ordinibus illis.

XX. Dispositio ipsa naturalis requirit, quod in Daemonibus sit praelatio: convenit etiam hoc divinae Sapientiae, quae attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.

XXI. In Daemonibus non est illuminatio propriè.

XXII. Boni Angeli super malos praelationem habent, & sic per bonos reguntur.

XXIII. Omnia corporalia reguntur per Angelos.

XXIV. Omnis informatio materiae est vel à Deo immediate, vel ab agente corporeo, non autem immediate ab Angelo: undè corporalis materia Angelis haud obedit ad nutum.

XXV. Natura corporea nata est moveri immediatè à natura spirituali secundum locum.

XXVI. Angeli propria virtute miracula facere non valent, dicente Propheta de Deo, qui facit mirabilia magna solus.

XXVII. Homines per Angelos illuminantur,

tur, vel secundum quod illorum intellectus per istorum actionem confortatur, vel secundum quod ab Angelis intellectui humano proponuntur species intelligibiles, quae sunt in ipsis.

XXVIII. Solius Dei proprium est, hominis voluntatem immutare efficaciter; at per modum persuadentis potest & Angelus, & alius homo etiam.

XXIX. Angelus tam bonus, quam malus virtute suae naturae imaginationem hominum mutare potest.

XXX. Angelus virtute sua naturali potest sensum hominis immutare, tum ab interiori, cum ab exteriori.

XXXI. Angeli à Deo in ministerium mittuntur.

XXXII. Loth Angelis hospitio susceptis, à Sodomitis vim passus, utramque Filiam illicitè, ac imprudenter illorum libidini obtulit.

XXXIII. Simpliciter dicendum est, quod superiores Angeli in ministerium exterius non mittuntur.

XXXIV. Omnes etiam ministrantes assistere dicuntur, in quantum assistentia dicit visio-

sio-

sionem immediatam divinae essentiae.

XXXV. Soli Superiores, qui sunt primae hierarchiae, assistere dicuntur, in quantum assistentia dicit perceptionem immediatam divinorum secretorum.

XXXVI. Necessarium fuit, quod hominibus Angeli ad custodiam deputarentur, per quos regularentur illi, & moverentur ad bonum.

XXXVII. Singulis hominibus singuli Angeli deputantur ad custodiam.

XXXVIII. Custodia particularis hominis pertinet ad infimum ordinem Angelorum.

XXXIX. Cuilibet homini, quamdiu viator est, Angelus custos deputatur.

XL. Statim à nativitate habet homo Angelum ad sui custodiam deputatum.

XLI. Angelus custos totaliter numquam dimittit hominem, sed ad aliquid interdum eum dimittit, prout, scilicet, non impedit, quin alicui subdatur tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum secundum ordinem divinorum judiciorum.

XLII. Angeli sancti nec dolent de peccatis, nec de poenis hominum.

In

XLIII. In Angelis pugna quidem esse potest, non discordiâ voluntatum, sed meritorum contrarietate eorum, quos custodiunt, pro quibus pugnare dicuntur.

LXIV. Impugnatio, qua homines impugnantur à Daemonibus, ex Daemonum malitia procedit, ordo autem à Deo est.

XLV. Proprium Diaboli officium est, tentare semper ad peccatum, tamquam principalis agens.

XLVI. Diabolus indirectè quidem est causa omnium peccatorum.

XLVII. Daemones vera miracula efficere nequeunt ad decipiendos homines.

LXVIII. Si miraculum large sumatur, Daemones possunt miracula facere; & quamvis hujusmodi opera Daemonum, mira nobis, ad veram miraculi rationem non attingant, sunt tamen quandoque verae res, esto non semper.

XLIX. Daemon, qui ab homine superatur, alios tentare potest, sed non eundem; & hoc probabilius dicitur, (verba sunt D. Thomae) si tamen intelligatur usque ad aliquod tempus.

Igi-

L. Igitur in nostra est potestate de hostibus triumphare infensissimis, ut ad patriam pervenire valeamus caelestem. Fiat, fiat.

Ut. F. Franciscus Tineo,
Præs. & Stud. Reg.

Imprimantur,

Dr. Redondo.
Rect. Univ.

Dr. Oribuela.
Cens. Reg.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section of the page.

Faint, illegible text in the middle section of the page.

